

eorundem sustentatione; neque licet redditus stipendia ejusmodi retinere, vel imminuere, vel augere.

5^o Pastoris est designare organistam, cantores, sacristam, custodem seu apparitorem, ludimagistrum (si qua schola in parochia exstat) et hujus generis homines alios, qui altari vel templo inserviant.

6^o Caveant redditui ne, parcho inconsulto, quidquam tanquam legem aut normam parochianis praeferant. Si qua porro discrepantia inter pastorem et reddituos de rebus gerendis exoritur, nec dissensionem componere ipsi per se valeant, controversiam dirimet episcopus, cujus judicio et sententiae parebunt omnes."

735. Aeditui seu matricularii, jure proprio, non sunt administratores bonorum parochialium, nam bona parochialia, quavis pertineant ad parochiam, juxta opinionem quam exposuimus, administratores habent rectores ecclesiarum, episcopos et Summum Pontificem. Matricularii sunt quidem adjutores quos rectores ecclesiarum, ex benigna Ecclesiae concessionem, sibi adjunxerunt in gerendis rebus suae ecclesiae.

1^o Primis ecclesiae saeculis, episcopi, per se vel per archidiaconos, administrabant bona ecclesiastica, laicis omnino exclusis, ut constat ex verbis S. Gregorii Magni aliquem episcopum Sardiniae increpantis eo quod laicos ad administranda bona Ecclesiae admisisset: "De cetero vero cavendum a Fraternitate Vestra est, ne saecularibus viris atque non sub regula vestra degentibus res ecclesiasticae committantur, sed probatis de vestro officio clericis." Pagnuolo, *Liberté religieuse au Canada*, pag. 272 et seq.

2^o Superioribus saeculis, faventibus conciliis particularibus, laici in administranda fabrica ecclesiae fuerunt admissi. "Cum enim apud populum, ait Bouix, *De Parcho*, p. 601, facile